



1.
1.
2
3.
4.
5
6.



1776, 16.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

AN

PVRGATORIVM IN CRIMINALI
CAVSA A CLERICO PRAESTITVM
SIT IVSTA REMOTIONIS CAVSA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE III. IAN. ANNO MDCCCLXXVI.

DEFENDET

IOANNES GEORGIVS GRAHL

ZWICKAVIENS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



AN

PVRGATORIVM IN CRIMINALI
CAVSA A CLERICO PRAESTITVM
SIT IVSTA REMOTIONIS CAVSA

Est profecto in bene ordinata Republica salutaris regundae illius regula: *Ne impunita committantur delicta.* Cuius itaque magistratui seu iudici imposita est cura, ne delicta manerent impunita. Hinc et inter Romanos praemia constituta accusatoribus, quo allicerent quemque ex populo, in iis iudiciis in quibus magistratui perpetua lege datum imperium merum, seu in quaestionibus perpetuis, ut, quem sciret deliquisse, ad magistratum deferret et accusaret. Imo ex Pontificum inuentis magistratibus impositum, ut, non expectatis accusatoribus, ex officio, vel aliqua de commisso delicto noticia obtenta, statim ipsi inquirerent, et vel indicia, quae personam adficerent, eruerent, vel, si fieri posset, probationem curarent. Quam vero salutare hoc institutum sit, atque regulae excitatae conveniat, tamen negari nequit, contingere posse, imo contigisse saepe, ut suspicio contra personam de commisso perpetratoque aliquo delicto exorta sit, quae innocens postea deprehensa. Iam vero vel illa ipsa innocentia legitimis probationibus manifestari potuit, sicque ab iudiciis absolvendus reus grauatus, vel si deficeret probatio, inuenta sunt media, quibus se ab imputatione liberare potuit is, qui suspicionibus grauatus erat.





Taceo torturam, quippe quae sapienti consilio nostris iuribus tanquam fallacissimum eruendae veritatis medium improbata. Alia super est purgatio, de qua dicendum.

§. II.

Habuit olim Germania nostra media ex superstitione omni sanae rationi et religioni contraria, per quae veritas popularibus eruenda videbatur, *Purgationes vulgares* dicebantur. Eo enim perduxerat superstitio, quae omnem sanae rationis usum depulerat, homines, ut sibi persuaderent, Deum non posse non, imo debere innocentiam vel adeo miraculo vindicare. Eum necessario innocentem fore pronunciabant ex Dei iudicio, qui nudis manibus illaesis candens ferrum tangebatur, vel ex monomachia superior discedebat. Suffulta haec clericorum aliorumque fraudibus superstitiosa purgatio, mouit Pontificem summum, ut decretis suis penitus eam improbaret. Fecit id CELESTINVS III. post hunc INNOCENTIVS III. et HONORIVS III. ut patet ex *Titulo Decretalium Gregorii IX. de Purgatione vulgari*. Substituere vero omnes in eius locum purgationem canonicam, quam postea *torturam spiritualem* vocarunt, quae in eo consistit, ut iureiurando se a suspitione atque imputatione suspecti liberarent, ut ostendit *Tit. Decretalium de purgatione canonica*. Sed nec in hoc instituto abfuit superstitio, quippe institutum de consacramentalibus seu compurgatoribus ab ea vacuum non est. Quid enim opus erat, ut iureiurando confirmatum compurgatores testimonium deponerent. Iurabant enim consacramentales, se credere, quod secundum veritatem iurasset is, qui canonicè se purgauerat.

§. III.

Solent pragmatici origines purgatorii plerumque Canico iuri tribuere. Non vero ea huic opinioni ratio est, quasi iuramentum hoc ignoraret ius Romanum: prouocant ad CAIVM IN


L. 31.



L. 37. π . de iureiur. et ad DIOCLETIANVM et MAXIMIANVM in L. 3. C. de Reb. cred. et iureiur. De Docletiani Rescripto non est, quod dubitem. Ait enim: *In bonae fidei contractibus nec non etiam in cæteris causis inopia probationum per iudicem iureiurando causa cognita res decidi oportet.* Et IUSTINIANVS in L. 12. C. eod. expressè scribit: *Cum enim iam increbruit iudices in plenissima definitione Sacramenta imponere caet.* Sed ex Caio solo purgatorium ego non probem. Verba enim: *Solent enim saepe iudices in dubiis causis, exacto iureiurando, secundum eum iudicare, qui iuravit.* Magis enim ICTUS ad decisionem respexit, an videlicet secundum deferentis, an iurantis intentionem sententia ferenda in verbis exacto iureiurando. Iuri Canonico tribuunt ob eam causam, quia per Pontifices modus vulgariter se purgandi abrogatus et ante receptum ius Romanum canonica purgatio in foris patriis, quibus consacramentalium vsus, quem Pontifices approbarunt iam antea popularibus nostris approbatus, ut habet WEIDLER vs diff. de Sacramentalibus. Sed sicut purgatoriorum vsus frequentissimus esse cepit in patria reprobato coniurantium vsu, imo *CONSTIT. ELECT. SAX. XXII. P. I.* confirmatus; ita legitimum utique est innocentiae probandae medium purgatorium quo praestito ab inculpatione et imputatione absolvendus reus, atque innocens habendus v. BOEHMER. diff. de Vsu Iurament. purgat.

§. IV.

Itaque si legitimum est medium probandi innocentiam praestatio iurisiurandi purgatorii, atque inculpatus innocens declarandus, sequitur, eo praestito, nullam esse causam, ut malo aliquo, ob id, quod iurando se purgauerit, adficiendus. Iam vero, sicut nec dignitatis, nec muneris, nec ordinis, nec natiuitatis ratio impedire semper potest, quominus contra innocentem, quisquis sit, possit suspicio commissi exoriri delicti; ita contingit, ut et munus clericale praesidium innocentiae haberi non



potuerit, imo a suspicione exorta clericus iureiurando se liberare coactus fuerit. Sicut vero nec innocentia semper testes habet, per quos manifestari potuit; ita nullum aliud legitimum superest ei medium innocentiam defendendi, quam purgatorium. Neque semper suspitionis causa in persona inculpati quaerenda, hinc non euitabit innocentissimus interdum suspicionem contra se ortam, quae purgatorio dat occasionem. Exinde vero nonnulli in eam incidere opinionem, vt putarint, clericum, cui a iudice delicti imputati causa purgatorium impositum, praestito eo, remouendum vel si subtilitius dicendum; a munere di mittendum. Videamus, an haec opinio conueniat cum lege et sana ratione.

§. V.

Est quidem verum, omnem virum honestum et probum a suspicione delicti debere esse immunem, et maxime in parcho videndum, vt ita suas vitae actionumque rationes componat, quo, qui suae doctrinae commissi laici, suo exemplo in religione et fide confirmentur et corroborentur; at tamen nemo, qui recte sentit, in eam dilabi poterit opinionem, vt clericum ab omni humanitate alienum putet, et in omnibus suis actionibus ita comparatum, vt nihil ex imprudentia omni humano generi propria, imo et ex recti animi conscientia agat, ex quo postea suspicio excitari possit. Haec enim qualitas optanda magis in homine, quam expectanda in clerico, qui homo esse nunquam desinit. Addo, quoties et aliorum improbitas, malitia et contra clericum aliquid, quod ab eo plane commissum non est, excogitat, vt exinde in delicti commissi suspicionem veniat. Neutrum ita imputandum, vt propterea alio incommodo affici dignus videatur, quam quod ex ipsa orta suspicione venit, videlicet expensarum solutione, si tanta fuerit suspicio, vt eidem purgationis iuramentum iudex impone-

re



re coactus fuerit. Pone, clericum adeo imprudenter et minus prouide actiones quasdam peregrisse, haud delinquendi animo, vt contra eum indicia fuerint delicti; concedam imprudentiae poenam pati hanc, vt impensas in litem factas et defensionem soluat. At, vti innocentiae plerumque proprium est, cum mens sibi sit recti conscia, non tam circumspecte agere, vt plane omnem speciem euitemus; cur haec, quae in alio homine excusantur, non aequae clerico sint iusta excusatio, Fac itaque ordinem iudicii lege praescriptum effecisse, vt ab delicto imputato ex indiciis sese liberare coactus sit: minus ne innocens erit, quod clericus est, quam innocens habebitur, quod homo est. Sane putem clericum non peccare, sed hominem, quem clericus nunquam deponet, improvide et imprudenter egisse.

§. VI.


Iam concludo: si in regula is, qui ab imputata aliqua suspicione et inde praesumpto delicto aliquo se liberat iureiurando, tanquam legitimo suae innocentiae probandae medio, innocens habendus et a crimine et poena absolendus, imo, qui ad sui defensionem legitimis utitur mediis, quale est purgatorium, nunquam, nisi alia concurrant, poena adficiendus sit; clericus, qui imprudentia vel etiam aliorum malitia contra se suspicione excitata se legitime per purgatorium a iudice impositum defendit suamque probat innocentiam, a crimine et poena absolendus, omnisque suspicio antea excitata pro non grauante, imo quasi non extitisset, habenda erit. Vnde ergo cogatur discedere ab officio? Lex, quae hoc comprobat, non extat, nec extare equidem potest, cum Legislatores contra naturalem iustitiam ne quidem legem ferre potest. Effet vero iustitiae naturali contrarium, eum, qui legitime suam defendit innocentiam, quippe absolendus a crimine imputato, adhuc vltiori malo adficere. Contra vero ius Canonicum, vt est ex
CON-



CONCIL. AGATHEN. in c. 2. X. de purgat canon. iubet. vt inculpatuſ ſuſpendatur, non vt remoueat, et CONCIL. MELDENS. X. in c. 4. X. eod. diſtinguit, eumque, qui manifeſte deliquentem ſe prodiderat ab officio remouendum, qui verofimilibuſ contra ſuſpicionibuſ fuerit propulſatuſ, canonicè ſe expurgare debere. Vbi ergo contrarium potiuſ ex hoc capitulo tanquam iure in ſubſidium recepto euincitur et lex ipſa noua deficit, iniuſte ageretur, ſi ab officio clericuſ ob id, quod ſe purgauerit, diſcedere cogatur.

§. VII.

At quid! ſi probari poſſet, conſuetudine id inualuiſſe, vt purgans ab officio dimittatur. Et proſecto hoc adfirmare ridiculum foret. Quique enim actus ſane rationi et iuri naturali contrarii, per illoſ nunquam conſuetudo introduci poſteſt. Iam vero innocenteſ malo adficere, quale eſt, ſi ab officio diſcedere cogatur, ſponte enim nunquam diſcedet, omni naturali iuri et ipſi ſanae rationi eſt contrarium, hinc irrationabilis exinde oriretur conſuetudo, quae legum vim habere non poſſet. Peieranteſ lex iubet deponere, non qui legitime per iuramentum ſe defendit, ſeque innocenteſ eſſe probat. Quid quaero faciat clericuſ, qui in eam incidit cauſam, vt purgatorio ei ſit impoſitum. Si non iurat, habetur confeſſuſ et deponenduſ ab officio: ſi iurat, diſcedat ab officio. Quid intereſt inter deponi et diſcedere cogi ab officio? Sane nil, niſi vocum ſonus. Si innocentia probata aliſ mediſ legitimis, non tantum ſuſpenſio tollenda, et clericuſ ad muneris exercitium admittenduſ, cur non iſ admittatur, qui aequè legitimo modo, ſcil. purgatorio iureiurando praefitito ſuam innocentiam probauit? Haec ſane rationi repugnarent, imo naturalem iniuſtiam ſtatuereſt. Hinc nec lege, nec conſuetudine clericuſ a ſuſpicionè ſe iuramento liberanſ ab officio remoueri, vel ſi honeſtius exprimere veliſ, quamuiſ effectù idem ſit, ab officio diſcedere cogi poterit



Leipzig, Diss., 1776 A-G



f

TA-70L

aus 34 Stk. bisher verkauft

VD
18





1776

1776, 16.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
PVRGATORIVM IN CRIMINALI
CAVSA A CLERICO PRAESTITVM
SIT IVSTA REMOTIONIS CAVSA

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE III. IAN. ANNO MDCCCLXXVI.
DEFENDET
IOANNES GEORGIVS GRAHL
ZWICKAVIENS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.